

AD CLEMENTEM SEPTIMVM PONT.  
MAX. IOANNIS GENESII SEPVLVEDAE COR-  
dubensis Præfatio in Alexandri Aphrodisei commentaria de  
prima philosophia, ab ipso e græco in latinum  
sermonem conuersa.



ET VS querela est, Clemens septime, Ponti. Maxi. & ea  
nec imprudentium hominum, nec ineruditorum, quidnam sit  
causæ demirantium, cur cum Aristotelem & Platonem sum-  
mos philosophos, ac omnis philosophiæ quasi parentes, anti-  
quitas fuerit velut duo numina venerata, nemo tamen in tan-  
ta virorum græce & latine doctissimorum copia, felicibus illis  
eloquentiæ Romanæ temporibus extiterit, qui horum scripta  
diuina, latinis hominibus, illi ætati conueniente stilo & perinde fidei prodere cura-  
ret, cum Marcum Tullium Platonis studiosissimum fuisse constet, & Aristotelica  
non negligenter, ut ipse profitetur, nec leuiter attigisse: Brutum multos de philoso-  
phia libros edidisse: plures Marcum Varronem, qui habitus est Romanorum doctissi-  
mus, ut cæteri, qui non pauci connumerari poterant, taceantur. Iusta mehercule demi-  
ratio, siquidem officium requirat, quod Reipub. debent omnes boni vel cum dispendio  
existimationis suæ præstare. Nam si ad eorum laudem spectet, qui ambitiosi sunt  
in studio literarum, nihil fuerit profecto, quod paulo modo prudentioribus homini-  
bus, eisdémque genus hoc studiorum expertis minus possit approbari. Tam lubrica  
est, tam anceps, tam periculosa ratio, aliena scripta, præsertim de philosophia, inter-  
pretandi, ut labores & molestias taceam, quæ nullo in genere nec maiores nec fre-  
quentiores suscipiuntur. Nam ut exemplaria, quod perraro accidit, emendatissima  
contingant, tamen difficillimum est, ad alterius mineruam ingenium suum examus-  
sim accommodare, & præscripta non solum sensa, sed verba etiam fideliter simul &  
eleganter transferre. Quæ omnia si quis forte deus, ut feliciter cedant, largiatur, nul-  
la tamen in re maior est occasio calumniandi, eadem sœpe verba alio in aliam partem  
accipiente: & cum cætera desunt, eo confugiente inuida ad interpretis gloriam im-  
minuendam, ut nihil esse dicat magnopere laude dignum, aliorum inuenta quanlibet  
commode aut luculenter pronunciare. Tot igitur tantisq; difficultatibus ab hoc scri-  
bendi genere studia hominum deterrentibus, duo principes philosophorum tam diu la-  
tina interpretatione caruerūt, donec ex tua, id est Medicū familia extitere viri ut o-  
mnis virtutis colétiſſimi, sic rei literariæ percupidi, qui liberalitate sua literis, quæ iā  
pridē iacebat, excitatis, auctores fuere, ut viri vtriusq; linguae atq; philosophiæ doctiſſi-  
mi, nullo discrimine, nullo labore retardati, prouincia illam difficillimam obirent.  
Tuorum enim maiorū voluntate Marsilius Ficinus Platonis opera doctissime cōuer-  
tit: Ioannes Argyropylus Aristotelis magnam partem commode, nec ineleganter est

interpretatus, cum antea nulla eius esset interpretatio, quæ quidem tali nomine censem  
ri mereretur, præterquam in opere de natura & generatione Animalium, & proble-  
matis, quos libros Theodorus Gaza ad Nicolaum Quintum luculentissime ac felicis-  
sime fuerat interpretatus. Quorum reliquias nos, quanquam non simus cum illis com-  
parandi, pro nostri tamen ingenii exiguitate, quoad licuit, sumus, dum tibi rem gratā  
facere cuperemus, persecuti. Sed quorū hæc tam multa de Aristotele, eiusq; latina  
interpretatione? ut desinas pater Clemētissime, tu quoq; cuius voluntate atq; auspi-  
ciis commentaria conuertimus Alexandri Aphrodisi in duodecim Aristotelis libros  
de prima philosophia, aliquando mirari: id quod tibi, dum mihi negotium iniungeres,  
mirum videri professus es, quod operis tam laudati, tātiq; auctoris hæc tenus interpre-  
tatio latina fuerit desiderata: cum illud magis sit admirādum, quod opus tam arduū,  
tot difficultibus implicitum, aliquem, cuius auspiciis conuerteretur, inuenierit ali-  
quando. Nam licet quamplurimi extitissent, qui certe per pauci omni memoria fue-  
re, qui huiusmodi officium latinis philosophis præstare possent, id est qui vtriusque  
linguae peritiam cum philosophicæ cognitione coniunxissent, quis tamen infinitum la-  
borem suscepisset vltro, aut suscepsum non sape difficultatibus succumbēs deseruisset:  
nullo velut numine ad opus adhortante, cuius afflatu recreatus vires deficietes sub-  
inde recipere? Fit enim, nescio quo pacto, ut quo quisq; eloquentior habetur, eo ma-  
gis studiorum quærat amœnitates. Ita cum plurimi sint qui græcorum historias, fa-  
bulas, dialogosque accurate in latinum sermonem conuerterint, opera eloquutionis  
capacissima, & ad quæ latine exprimenda, non verba solum, sed verborum etiam  
sententiarūque figuræ sponte suppetunt, ne vnum quidem (quod sciam) reperias,  
de cuius eloquentia aliqua fuerit hominum opinio, qui studium operamq; suam ad in-  
terpretanda Græcorum Aristotelis enarratorum commentaria contulerit. Nā Theo-  
dorus Gaza, Ioannes Arg yropylus, Hermolaus Barbarus, Hieronymusque Dona-  
tus, a quibus poterat huiusmodi officium expectari, fuerunt illi quidem in physicis  
conuertendis cum sua magna laude versati, sed ab Aristotelis enarrationibus prorsus  
abstinuerunt: non quod illa putarent parum nostris Peripateticis commodi esse alla-  
tura, quæ proculdubio sunt penè necessaria (pudet enim dicere, quanta cæcitate, quod  
alias testatus sum, latini exponendis Aristotelicis allucinentur) sed quoniā viri non  
minus cauti, quām eloquentes, aridam & iejunam materiam, & non modo facundiæ  
reluctantem, sed quæ verbis latinis exprimi parte sui non potest, velut scopulos in  
alto, Cyaneaq; saxa vitanda sibi statuebant, dum laudem eloquentiæ, quam inde  
longe etiam tenuorem, quām ex ipso Aristotele conuertendo reportare poterant, affe-  
tarent. Nec enim eos interpretū nomine dignos esse duco, qui græcos barbara quadam  
fidelitate sic interpretari student, ut nullum verbū perire & quo animo patiatur, ne ex  
iis quidem, quibus sermo græcus frequenter exornatur: & verba græca cū suis figuris  
eodē ordine, quo sunt ab illis cōstrūta, transferentes, orationē redditum, non dico bar-  
barā, sed prorsus (vt ita loquar) inhumanā: ad quam explicandā Oedipo aliquo, aut

Apolline Pythio sit opus. Quod his accidit, dum sententias ignorantes, satisfacere se interpretis officio putant, si verba etiam minutissima quæ velut inepta superstitione consequentur. Itaque ut Iasone, cuius ductu in uia maria nauigarentur, sic Clemente Pontifice opus fuit, cuius auspiciis inaccessa nostris græcorum Aristotelis enarratorum commentaria latinis literis inciperent illustrari: ut hanc quoque partem studiorū, Medicum clarissimæ familiæ mortales deberent, qui bonarum artium quicquid est in omni genere renascentium, eidem referunt acceptum. Quo in loco, vniuerso huius ætatis literatorū ordini congratulari libet, quod te Pontificem Maximū natus est, qui cum cæteris, & prudentissimi Principis, & Antistitis Religiosissimi officiis diligenter ac sapientissime fungaris, hoc quoque, quod literarum studiis debetur, studiose impartiri perseueras. Neque enim singularis hæc tua in studiosos magnificentia, cum maximo pontificatu exorta est: in angustiore fortuna paria summis Principibus moliebaris: eaque liberalitate rem literariam souebas, qua pauci vñquam in summo isto fastigio rerum constituti. Itaque iam tunc quosdam habebas qui huius ætatis res gestas accurate ac diligenter memoriæ mandarent, alios qui Medicorum, alios, in quibus nos, qui philosophorum græcorum commentaria latinitate donarent. Ad summā, nemo iam bene de literarum studiis cū bono publico merebatur, quin summum sibi præ fidium in tuo patrocinio positum esse cognosceret: prorsus ut per summam dignitatem nihil aliud potuerit ad animi tui magnitudinem accedere, quod ut tantundem prodesse posses, ac velles. Ut eò igitur oratio redeat, vnde me iustissima gratulatio deflexerat, placitum tibi fuit, ut ab iis potissimum commentariis caperetur exordiū, quibus Alexāder Aphrodisieus τὰ μετὰ τὰ φυσικὰ Aristotelis enarravit. Cuius interpretis tanta fuit apud græcos auctoritas, tunc cum studia Peripateticorum vel maxime florabant, ut nemo Peripateticus haberetur, qui non esset idem Alexandreus. Nam ipsum Aristotelis opus quantas habeat commoditates ad studium philosophiæ, similique quantum tenebris sit inuolutum, declarant Aristotelis & Alexandri Macedonis alterius ad alterum nobiles epistolæ: quorum hic cū magistro per literas expostulauit, quod hoc de prima philosophia opus edidisset, cuius cognitione, quod imperio & opibus excellere se male profiteretur: ille respōdens, bono animo discipulū esse iussit. Nā sic, inquit, tibi persuade, libros editos esse, & non editos: à nullis enim præterquam qui a nobis audierint, intelligentur. Ad hoc igitur munus obeundū, cum tibi non aliena meorum studiorum opinione præcepta, me ministro vti placuisset, voluntatē tuam sequutus, libenti & grato animo difficillimam prouinciā suscepi, in uiam scilicet, & inaccessam, & quam nisi labore Herculeo obiisse non licuit. Quasi enim parum esset in ipso opere tenebrarum, quod sine controuersia totius philosophiæ obscurissimum est, & quod nemini quanlibet in ipsa exercitato, non dico apte conuertere, sed ne intelligere quidem licet absque pertinaci studio, & perpetuis lucubrationibus: innumera librariorum errata, quæ passim scatebant, quatuor exemplaribus conferendis, per laboriosum examen mibi fuerunt castiganda: tū multa exprimenda latine, quæ cum a Romanis nunquam

fuerint tractata, latinis vocabulis omnino carent, prorsus ut vel nouis fuerint nunc  
cupanda, vel unius græci verbi intellectus multorum latinorum circuitione expli-  
candus. Quod ut saepe res ipsa facilitare suadet, ratioq; latinitatis, sic interdum tam  
molestum est & importunum, ut orationem, quæ alias fuisse illustris, implicitam red-  
dat, & tenebris offuscet. Ita fit plerumq;, ut si quis se philologis commendare studeat,  
philosophis parum satisfaciat. Cum quibus monstris tam duro certamine depugna-  
ui, ut saepe manus fuerim daturus, nisi cuius iussa administrarem, meminisset. Quā  
memoriam subinde mihi suggestebat, studiorum quibus se ab ineunte ætate tradide-  
rat, fautor egregius Io. Matthæus Gibertus antistes Veronensis, vir acri ingenio, ma-  
gno iudicio, & cana in iuuenili ætate tum prudentia, tum etiam grauitate. Hac enim  
recordatione viribus sumptis, pugnam tam saepe redintegrabam, donec superior mibi  
viderer euasisse, præter loca nonnulla, quæ librariorum incuria in omnibus quæ mi-  
bi videre contigit exemplaribus, depravata esse, non tam ingenio meo fidens assue-  
rauerim, quam assensu Nicolai Iudeci confirmatus, viri doctrina singulari, exactōq;  
iudicio, & cui eruditorum consensus neminem, ut video, huius ætatis in omnis philo-  
sophiæ, ac medicinæ, quæcunq; græcis literis continetur, nodis explicandis, & latine  
transferendis, anteponit. Ego enim mibi impeditissimam quamque difficultatē non  
satis ante videbar explicasse, q; iudicio eius satisfecisset, cū quo talia loca saepe, dum  
per ipsius occupationes liceret, conferebam. Sed quorundam pertinaciam, quæ utriusque  
ingenio, nisi diuinatio processerit, obstinate repugnauit, non dubitabat ille negli-  
gentiae librariorum assignare. Quæ appositis asteriscis idcirco notaui, ut si cui for-  
te emendatius exemplar cōtigerit, quibus potissimum vulneribus sanandis studia no-  
stra in publicam utilitatem suscepta iuuari valent, sit in proposito. Sed mehercule  
lynceus erit, qui tātis in tenebris nibil offendat, seq; ita gesserit, ut in varias repre-  
hensiones non incurrat. Quæ mibi eo sunt magis extimescendæ, quod scio huic quoq;  
operi paratiis esse obrectatores, qui meo nomini quacunq; ratione possint officiendi,  
meaq; cuiusq; generis lucubratiunculas calumniandi occasionses diligenter arripiunt.  
Non quod nihil in eis esse putem, quod iure valeat reprehendi (hoc enim furor esset  
profiteri) aut dubitem quin pleraq; fortasse sint, quæ meā in conuertendo diligentia  
præterierint: sed quoniam ea huiusmodi fore spero, ut nisi iis qui sunt utriusque  
linguae cognitione prædicti, & in philosophia exercitati, non valde in promptu sit  
deprehendi: ut obiter grammaticorum molestias caueam: quosetsi æquum erat in sua  
se pellicula continere, tamen quoniā sibi temperare nequeunt quo minus alienas par-  
tes interdū inuadant, rogatos velim, ne prius de mea interpretatione iudicent, quam  
quod legere libuerit, intelligent: & tunc si qua inepte aut parum eleganter conuersa  
videbuntur, experiantur ipsi eadem commodius interpretari: & culpam, si qua erit,  
rei qua de agitur difficultati fortasse condonabūt, quæ lenociniis latini sermonis pe-  
nitus reluctatur, quæq; nullis verborū phaleris neq; exornari, neq; variari vel potest,  
vel debet. Ex tribus enim infimis hic est enarratorum dicendi character, cuius deco-

rum in simplici dictione versatur, & verbis suo in genere perusitatis, cui si græci Aristotelis enarratores ad hunc modum cum sua laude seruierunt, nos quibus eorum scripta latinitate donantibus non licet ab ipsorum vestigiis discedere, quis prudens accuset, quod non turgidius inflamus, nec eos orationi fucos adhibeamus, quibus comi solent tragicæ rhetorum declamationes? An parum præstabit, qui non minus eleganter illorum opera latine expresserit, quam ipsi græce conscripserunt? qua fiducia

- Theodorus Gaza homo græcus se libros Aristotelis de natura & generatione animalium conuertisse, in ipsorum præfatione profitetur. quod ego an fuerim assequitus, iudicabunt alii, ipse certe ut assequerer quoad licuit elaborauit, non quod sermonis elegantiae alieno in loco primam curam habuerim (profiteor enim me in hoc opere non alias eloquitionem adhibuisse, quam quæ extemporanea facultate, quantulamcumque vñsu comparaui, mihi suppeditabat) sed quoniā graci quoque ipsi Aristotelica enarrantes, domestica & familiari dictione vñsi sunt, quæ per mediocrem exercitationem baud magno negotio contingat. Ad illud ego me omni ope cōparaui, primum ut, quod te mihi aliquando præcipere memini, sermo esset latinus quidem, sed non fucus, nec ambitiosus: deinde ut orationem quantum res patitur illustrarem: tum in primis ut auctoris non modo incorruptas sententias, sed verba etiam, quatenus sermonis latini ratio permittit, transferam. hoc enim quod alias vitium videri potest, sum manu esse virtutem in hoc genere interpretantis philosophi putant, qui in rebus obscurissimis non tam fidem interpretis, qui suus esse velit, sequi, quam integrā facultatem sibi dari cupiunt, de auctoris mente iudicandi: quam tūc magis sibi contingere posse putant, si cum sententiis verba quoque, sed latina fidelitate transferantur: quæ per me ut præstarentur, pro virili conatus sum. Ut autem lector quem sequatur habeat, si tq; in commodo eo liberatus, quod mihi passim negotium facescebat, Aristotelis verba, quæ græce cum verbis Alexandri permixta, & admodum confusa sunt, Io. Argyropyl traductionem sequutus, lineis quibusdam distinxii. qua diligentia effclum esse spero, ut latinus Alexander quam græcus nihilominus perspicuitatis habeat. Quod vero quibusdam in locis ab Argyropyl interpretatione abhorrēamus, ne quis id putet negligenter quapiam fuisse commissum: partim idcirco fecimus, quoniam ea quandoque nobis haud admodum probabatur: partim quoniam licet sententias ille recte conuerisset, Alexandri tamen enarratio alia verba, aliam verborum seriem postulabat, cui enarrationi auctoris dictio nobis fuit accommodanda. Vale.